



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum aliquis pro temporali damno debeat excommunicari? 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

* *alias*, boni per excommunicationis sententiam *.
pœnam.

Ad tertium dicendum, quòd ex hoc ipso quòd aliquis suffragijs ecclesiæ priuatur, triplex incommodum incurrit, per tria quæ quis ex suffragijs ecclesiæ consequitur. Valent enim ad augmentum gratiæ et qui eam habent, vel ad merendum, eis qui non habent: & quantum ad hoc Magister Sententiarum dicit, quòd gratia Dei per excommunicationem subtrahitur. Valent etiam ad custodiam virtutis: & quantum ad hoc dicit *, quòd protectio subtrahitur; non quòd omnino a Dei prouidentia excludatur excommunicatus, sed ab illa protectione, qua filios ecclesiæ specialiori modo custodit. Valent etiam ad defensionem ab hoste: & quantum ad hoc dicit *, quòd diabolo maior potestas sœuendi in ipsum datur, & spiritualiter & corporaliter. Vnde in primitiua ecclesiâ, quando oportebat per signa homines ad fidem inuitare: sicut Spiritus sancti donum vñibili signo manifestabatur; ita & excommunicatio corporali vexatione à diabolo innotescebat. Nec est incommodum, si ille qui non est desperatus, hosti detur: non datur quasi dampnandus, sed quasi corrigendus: cum in potestate Ecclesiæ sit, ex eius manu ipsam cum voluerit eripere.

† *lib. 4. sent d. 18. §. G. circa fin.*

* *Magist. loco iam citato.*

† *Magist. post verba iā citata.*

* *ut patet ex Augusti serm. 12. in nouis serm.*

ARTIC. III.
 Vtrum aliquis pro aliquo temporali damno debeat excommunicari?

83

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd nullus pro aliquo temporali damno debeat excommunicari. Quia pœna non debet excedere culpam. Sed pœna excommunicationis est priuatio aliquid boni spiritualis, quod omnibus bonis temporalibus præminet. Ergo pro temporalibus nullus est excommunicandus.

¶ *2. Thes. 5.*

¶ 2. Præterea, Nulli malum pro malo reddere debemus, secundum Apostoli præceptum. Sed hoc esset malum pro malo reddere, si pro tali damno quis excommunicaretur. Ergo nullo modo hoc debet fieri.

SED

SED contra est, quod Petrus Ananiam & Sapphi-
ram pro defraudatione pretij agri, sententia mortis
damnauit*. Ergo & Ecclesiæ licet pro temporalibus
damnis excommunicare.

RESPONDEO dicendum, quòd per excommuni-
cationem iudex ecclesiasticus excommunicatos ex-
cludit quodammodo à regno: vnde cum non debeat
à regno excludere nisi indignos (vt ex definitione
clausi ¶ paruit) nec aliquis reddatur indignus, nisi per
peccatum mortale charitatem amiserit, quæ est via
ducens ad regnum: ideò nullus excommunicari de-
bet nisi pro peccato mortali. Et quia in damnifican-
do aliquem corporaliter, vel in rebus temporalibus,
aliquis mortaliter peccat, & contra charitatem facit:
ideò pro damno temporalij illato, Ecclesia aliquem
excommunicare potest. Sed quia excommunicatio
est grauissima pœnarum; pœnæ autem medicinæ sunt
secundum Philosophum in 2. Ethic.* sapientis autem
medici est à leuioribus incipere medicinis, & minus
periculosis: ideò excommunicatio infligi non debet
etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit, vel
non veniendo ad iudicium, vel ante terminationem
iudicij sine licentia recedendo, vel determinationi
non parendo †. Tunc enim postquam monitus fue-
rit, si obedire contempserit, contumax reputatur,
& excommunicari debet à iudice, iam non habente
quid contra ipsùm faciat amplius.

Ad primum ergo dicendum, quòd culpæ quanti-
tas non mensuratur ex nocumento, quod quis facit,
sed ex voluntate, qua quis facit contra charitatem,
agens: & ideò quamuis pœna excommunicationis
excedat nocumentum, non tamen excedit quantita-
tem culpæ.

Ad secundum dicendum, quòd cum aliquis per
pœnam aliquam corrigitur, non redditur ei malum,
sed bonum: quia pœnæ medicinæ sunt, vt dictum
est*.

*Art. 5.
Et vide
Aug. in
nouis sct
monibus,
f. 2 & li.
3. cont.
Var. c. 1.
¶ 2 & 7.
q. 17. a. 2*

*lib. 2. c. 3.
ante me-
dium.*

*vt habe-
tur 2. q.
6. ca. 19.
Quisquis
& in Cō.
Mileuit.
ca. 24. in
fine.*

*in corp.
art.*